

*Blib.*

rius ad eundem fluvium *Blibe* mercatum celebrem conspeximus, quem *Bulleium*, vel *Busly* Normannici generis nobilem castro munivisse accepimus, sed vix rudera ejus jã comparent, ita omnia delet temporis vetustas. Monasteriolum vero posuerunt Rogerus *Busley* & Fulco de *Liseurs*, & hoc ultimum fere est Nottinghamiensis agri ad Septentriones oppidum, præter *Stroby* Archiepiscopi Eboracensis oppidulum in ipso confinio locatum.

Nottin-  
ghamiae  
Domini,  
& Comi-  
tes. Lib.  
M. Linton  
Matth. Pa-  
ris. p. 126.  
Vide Co-  
mites  
Derbiz.  
M. Paris  
pag. 204.  
Hoveden  
pag. 373.  
b. Inq. 6.  
Rich. 2.

Guilielmus cognomento *Conquestor* huic agro Guilielmum *Peuerell* filium suum nothum non Comitis, sed Domini de *Nottingham* titulo præfecit, cui natus est filius qui ante patrem obiit, & illi itidem filius ejusdem cognominis, quem Henricus Secundus hæreditate exturbavit, quod Ranulpho Cestriae Comiti venenum miscuerit. Sub id tempus Robertus de *Ferrariis*, qui Nottinghamiam diripuit, in Donatione quam fecit Ecclesiae de *Tuttesbury*, hoc usus est titulo, *Robertus Comes junior de Nottingham*. Sed postea Comitatum & Castellum de Nottingham cum omni honore de *Peuerell* Ioanni fratri donavit & confirmavit Rex Richardus Primus. Longo post tempore hoc titulo Richardus Secundus Ioannem de *Vvowbray* insignivit, qui cum juvenis sine prole diem obiisset, successit Thomas frater, qui à

Richardo Secundo Comes *Mareschallus*, & Dux Norfolciae creatus, statimque in exilium ejectus, genuit Thomam Comitem Mareschallum capite ab Henrico Quarto obruncatum, & Ioannem *Mowbray*, qui, uti filius, & nepos fuerunt itidem Duces Norfolciae, & Nottinghamiae Comites. Sed cum eorum proles mascula defecisset, & Richardus tenellus Edwardi Quarti filiulus Dux Eboraci Nottinghamiae titulum cum aliis paulisper gessisset, Richardus Tertius Guilielmum Marchionem de *Barkley*, & Henricus Octavus filium suum illegitimum Henricum *Fitzroy*, quorum uterque nullis susceptis liberis ex hac vita migrarunt, hoc Nottinghamiae Comitis titulo honorarunt. Nuperque MDLXXXVII Elizabetha eodem honore Carolum Howardum summum Angliae Thalassiarum, qui à *Mowbrais* genus ducit, ob operam (ut est in *Charta Creationis*) fortiter fideliterque bello navali contra Hispanos MDLXXXVIII, & Gadium expugnatione CIOIOLXXXVI navatam (qui hic rei navali, ut Essexiae Comes terrestri, summo cum imperio præfuit) solemnem investitura exornavit.

*Visuntur in hoc agro Ecclesie Parochiales 168.*

